



XIV





Χαρίσματα τῷ πνεύματος τῷ ἁγίῳ

SEV


MEDITATIO IN  
GENTIS ILLIVS BENEFICII,  
QVO HOMINES DEUS MITTEN.  
do SPIRITVM SANCTVM  
affecit.

VERSIBVS HEXAME-  
TRIS EXPOSITA, ET POSTRIDIE  
*Pentecostes in celeberrimâ VVittebergensi Aca-  
demiâ publicè recitata*

à

DANIELE MONCHMEIE-  
RO, Saltzâ-Saxone.


ANNO dō 1ō cV.



VVITEBERGÆ,  
Excudebat Iohan. Schmidt,







REVERENDISSIMIS,

MAGNIFICIS, SPECTABILIBVS;  
Nobilissimis & amplissimis viris

DN. DECANO, SENIORI, CÆTE-  
risque Archiepiscopatus & Primatus Magde-  
burgensis

PRAESVLIBVS ET CANONICIS  
Dominis Mœcenatibus, & patronis meis perpetuâ  
reverentiâ colendis.

Lubens meritò

C. D. & offero

Daniel Mönchmeierus.





## Ad auctorem.

**C**Vjus & adventum celebras & munera, Numen,  
Cor regit, & carmen dicit, Amice, tibi.

*Laur. Rhodemannus, S.  
Historiarum Professor publ.*

*In carmen de Spiritu S:*

**DANIELIS MONCHMEIERI,**

*Saxo.*

**H**Æc Monchmejeriæ sunt illa pericula Musæ;  
Atque adolescenti deproperata manû;  
Atque obiter: calido namque hunc rapit impetus ausu  
Mystica salvifici discere jura sacri.

Quære viri vires, & adultæ prælia Musæ,  
Et longæ vatum propria tela moræ:

Hic reperis, **LECTOR.** Qui **RES** animavit & **AR-**  
**TEM**

Carminis, omninò Spiritus ille Dei est.

*Frid. Taubmannus Fr. Poëta & Professor.*

*Ad Danielem Monchmeierum Saltzensem meum.*

**D**Vlce tuum carmen, Daniel cultissime, legi;  
Quod tua de sancto **FLAMINE** Musa dedit.

Iudicium quæris? recto stant singula talo;  
Præmorfos ungueis vivida sensa probant.

Perge ita Musarum sacros expromere fœtus;  
Ultima nec Clarij gloria fontis eris.

*Valens Cremcovius.*



PRORECTOR ACADE-  
MIÆ VVITEBERGENSIS IOAN: ZANG:  
I. V. DOCTOR ET PROFESSOR ORDINARIVS.



**I**n historiâ Pentecostes Novi Testamen-  
ti, cum SPIRITVS SANCTVS Apосто-  
los dono linguarum, & quidem pro se quemque  
multarum, uno momento instruxisset, improbi  
cavillatores id spiritu vini effectum criminaban-  
tur. Quasi verò inter pocula commissatorum  
peritia linguarum acquiratur? Minimè omnium: Industriæ &  
laboris plurimi est, & temporis diuturni, linguam inter principa-  
les vel Latinam (ut cæteras taceamus) paulò melius, quam vulgò  
solent, addiscere. Et commendantur meritò, qui operam & inge-  
nium in cultu illius pro bono publico sive Ecclesiæ, sive politia  
impendunt. In quorum numero cum nomen suum omni iure  
profiteri possit DANIEL MONCHMEIERS Saltzen-  
sis Saxo, & vobis specimen publicè exhibere, nostro indultu, ani-  
matus sit, hortatores vobis sumus ut ad horam SECVNDAM in  
loco his exercitijs destinato, frequentes compareatis, facturi, ut  
speramus, operæ pretium, nec quenquam poenitebit ad semihorâ  
perorantem auscultasse. Conscripsit enim carmen longis qui-  
dem versibus, sed non ita longum, DE MISSIONE SPIRITVS  
SANCTI: quod & spiritus, & doctrinæ, & elegantia plenum, &  
dignum, ut eo etiam SPIRITVS SANCTVS in suâ istâ  
solenni festiuitate Pentecostes celebretur.

P. P. postridiè Pentecostes anno Christiano  
c1o 1o cV.

11a



Illa dies nunc rursus adest, quam semper amicam,  
 Semper honoratam (sic fas) Christianus habebit;  
 Sive quem inhumanis teneat Fors Sarmatis oris,  
 Sive Getæ quis agat sævis in finibus exul,  
 Tartarico de mari deprensus & urbe Bizanti;  
 Trux ubi fatali Mahumetus acinace sævit:  
 Annua vota tamen, solennesq; ordine pompas  
 Instituat, cumuletq; suis altaria donis.  
 Nunc verò sacram cum tutò accedere ad Ædem;  
 (Non equidem sine mente, reor, sine numine Iho væ)  
 Et liceat nobis optatâ pace fruisi;  
 Nec ferrum, aut facies hostilis rumpere sacra  
 Triste vé justitium templis imponere possit:  
 Quo non optatam lucem celebremus honore,  
 Quam merita & SANCTI FLATVS sibi nomina sacrant?  
 Quem NATOq; sibiq; parem TRIADOSq; VERENDAE  
 Vinculum secretum, tremulæ sub imagine flammæ,  
 Promissum munus, sanctis demisit alumnis.  
 Qui vires animis, & linguæ ingentia dona,  
 Multiplicis linguæ, momento suggerat uno,  
 Iustificæ ut FIDEI, mortis formidine spreta  
 Pandant ARCANVM, intrepidisq; & pectore, & ore  
 Omnibus evulgent, quâ Vesper obitur & Eos.  
 Ergò age Christiadam Iho væ gratissima turba,  
 O felix una ante alios, quos orbita solis



Ambient, & aurato pulcerrima lumine lustrat!  
 Serta date, & meritos templis indicite honores,  
 Spargite humum folijs, & festâ cingite fronde  
 Quâ geminis coeunt altaria cernibus; imis  
 Luxuriet meritò mens leta in gaudia fibris.  
 Iam decet, & festos ad sidera tollere plausus,  
 Voceq; dulcisonâ meritæ præconia laudis  
 Didere, & ingentes Iho vae persolvere grates.  
 Iamq; adeò ingentis, quibus Enthea gratia cordi est,  
 Dicamus **MERITI** laudes, ego voce præibo.  
 Immò ego non pote, sis potiùs dux, **SPIRITVS ALME**  
 Ipsemet, inq; tuas tete mihi suffice laudes  
 Ipse volens mihi, digna tuo quæ Numine sacro,  
 Suggere; Nam penes unus habes te digna: cale scat  
 Cor propiore igni, blesæ titubantia verba  
 Articula linguæ, linguæ formator & auctor  
 Vnicus omnigenæ: frena ne fortè alienum  
 Non benè cauta tuo quid turpiter ausit honori  
 Evomere. Et vos Leucoridos clarissima nostræ  
 Lumina, fama suis quos vexit ad æthera bigis:  
 Vel qui Magnificas Musææ pubis habenas  
 Iam summâ cum laude regis moderaminis equi:  
 Vel, quos laude bonâ diuina scientia clarat  
 Ardua inaccessi docti mysteria Iho vae:  
 Vel quibus alma Themis sacrata recludere iura  
 Dignata est humane artificissima vincula vitæ:  
 Vel quibus aut medicas, melicas aut expedit artes,

Et me-



Et medicæ & melicæ qui artis clauit auclor, Apollo ;  
 Quis vel clara senis non certet gloria Coi ,  
 Pleetra nec Ismary vatis seu carmine Grajo  
 Seu Latio sit opus, quamvis fatalia jura  
 Sæpius is fregit, animas stygis æquora nantes  
 Iam propè desertæ re vocans ad munia vitæ :  
 Eumenidas quamvis hîc ipsas, Persephonemq̃  
 Ipsam, flex animi demulsit carminis arte  
 Oraq̃ tergemini custodis hiantia clausit.  
 Vel sua quis Sophia alma docet mysteria, rerum  
 Incertam faciem, cœlestesq̃ ordine gyros :  
 Vel quis facundæ monstravit flumina lingue,  
 Oraq̃ mellito perfudit SVADA liquore  
 Vel quibus antiquis labor est abscondita seclis  
 ( Mundi verè oculi ! ) in lucem producere apertam  
 Priscaq̃ venturo depromere gesta nepoti :  
 Et tu, quam hîc fovet amplexu Patrima virago  
 Lucundo, dapibusq̃ suis, & nectaris almo  
 Enutrit latice, & Phœbeæ ambrosiæ aurâ ;  
 Nobilis ô juvenum, & genere & virtute corona.  
 Vos, inquam, quicumq̃ meo modò adestis honori,  
 Vos mihi vos trepidanti animo, & lingua titubanti  
 Præsentem animis æquis, linguisq̃ favete :  
 Vos pariter suscepto operi aspirate benignam  
 Auram, perq̃ viæ me vestro insueta favore  
 Ducite, digna favore est res, audentior omnem  
 Vincam aditum, & penitus mysteria magna recludam

Iam



Iam decies quinos sola per cœlestia gyros  
 Ingentes dederat rutuli clara orbita solis;  
 Quando redux CHRISTVS mortem ultus morte superbam  
 Victrici insignis palmâ surrexit ab Orco:  
 Bis senûm sacra turba virûm ( Nam gaudet honore  
 Stulte tuo Iuda, sortitu accitus amando  
 Matthias meliori animo & pietate verendus )  
 Unanimes aderant, promissam cœlitus Almam  
 AVRAM expectantes, socioq; piè ore precantes,  
 Quâ Solyme caput in visum fastu erigit alto  
 Olim, astrisq; heu campus iners nunc! æmula certat:  
 Ecce domus subito horrisono ruere alta fragore  
 Cœli visa, polo rupto micat igneus æther.  
 Nec mora fit, volucris ecce repente volumine venti  
 Lene susurrantis, DIVINÆ SPIRITVS AVRÆ  
 Labitur, atq; uno penetralia monime teati  
 Omni ex parte replet. Sic tu, quem maxime vates  
 Ignitis flammans rotulis ad sidera currus  
 Transtulit, in leni mulcentis murmure venti  
 Ibovam adventantem vacuo speculatus ab antro es,  
 Qua sacer Orebus celso æthera vertice tangit.  
 Iam radijsq; novus tremulis circum omnia lustrat  
 Splendor, de votis ipse insidet ordine mystis,  
 Fulgentesq; comas lambit, non-noxius ignis.  
 Apparent bifido divise segmine lingue  
 Flammantes, subito insuetam præcordia Numen  
 Senti/cunt afflata, novus sese osibus ardor

Spiritus  
 sanctus  
 datus Ap  
 postolis.

Accendit  
 & illumi-  
 nat mentem.

Insi.



Insinuat penitus, celeriq; per omnia motu  
 Errat, & ignescit magis & magis incitat usque  
 Sese ipsum, donec superans ardentior acri  
 Impete perrumpit pia, quâ patet exitus, ora,  
 Et Christi magnis latè omnia laudibus implet.  
 Sic ( si divinis rebus conferre profanas  
 Fas ) tenuis primùm scintilla, per arida repens  
 Nutrimenta procul, celeri rapit augmina lapsu :  
 Et jam se vincit crepitans, agitataq; vires  
 Agglomerat, rapidam iam non vis amplius ulla  
 Continet, & se vus latè cuncta occupat ignis,  
 Tectaq; cum sonitu perrumpit servidus alta,  
 Exultansq; vagam dispergit in æthere flammam.  
 Ergò ipsi sacro repleti Numine, magna  
 Immensi magnamenta canunt, laudesq; Iehovæ, &  
 Salvificæ Fidei pandunt mysteria, linguâ  
 Omnigenas doctâ sermones quotquot ad altam  
 Nimrodi urbs genuit, vario discrimine turrim.  
 Nunctia præpetibus fama hæc citò per volat alis,  
 Iugentemq; implet varijs rumoribus urbem.  
 Ecce ruunt, parva nq; domum denso agmine cingunt,  
 Et quos in patrijs urbs mœnibus educat, & quos  
 Ador visendi Gentis solemnia sacra.  
 Innumeros illuc extremis traxerat oris.  
 Omnes insolitâ turbantur imagine rerum,  
 Miranturq; stupentq; insueta, invisaq; monstra,  
 Et varios trepido sermones murmure miscent.

Largitur  
 doctâ lin-  
 guarum.

B

Ecce



Ecce quid hoc<sup>2</sup> ajunt, cui<sup>2</sup> vis lingua unica tantum  
 Unico in ore sonat, sonus unicus omnibus idem  
 Signatur vario nobis discrimine. Nonné hos  
 Frugifero Galilæa solo vicina Damasci  
 Edidit obscuros? patrias en quisq; loquelas  
 Haurimus, Galilæa sonat quos unica lingua.  
 Et qui lunatâ caput obvelare tiarâ  
 Arsacides suerunt, & quos Ma<sup>v</sup>ortia tellus  
 Parthorum misit, misit sinuosus Araxes:  
 Quiq; vagum Euphratem bibimus, vel Tygridis undam  
 Cappadocesq;, Arabesq; & quid iuga nomine multo  
 Ancipitis, tractu immenso, accolit horrida Tauri;  
 Quosq; vagus refluo Mæander flumine ludit,  
 Et quorum tellus Aurâ beneolentis Amomi  
 Halat, quiq; legunt Nabathæe munera messis;  
 Et qui stillantes lugenti cortice myrrhæ  
 Tergis Orontæe lacrimas, quiq; ungere Nardo:  
 Romulidesq;, & qui nunquam ruere ætheris imbres  
 Linigeri Pharaonades vidistis; Oaxes  
 Quos Iovis altores rapidis circumfluit undis:  
 Quicquid & extremis Lybiæ sitientis ab oris  
 Venit, prædator Nasamon, Phyllusq; veneni  
 Securus, sacrâ cognoscens Aspide prolem.  
 Quisq; suâ accipimus celebrari Numina lingua  
 Vna simul variæ mittit discrimina linguae:  
 Non secus atq; olim, cum non distingueret ulkâ  
 Humanas fallente sono discordia voces.

Aut



Aut monstrum hoc certè : aut primæ concordia linguæ  
Mutua jam redit, & seclorum pristinus ordo.

Sic fantur trepidum pressi formidine pectus.

Ipsi consurgunt linguis, sacroq; verendi

Numine; cælestis tacitâ intima pectoris ardor

Letitiâ exercet, valido & munimine firmat,

Ingentesq; animos, & miros addit amores

CHRISTIANÆ FIDEI totum vulgare per orbem

DOGmata. lamq; adeò crucifixi vulnera CHRISTI

Et reducem vitam spoliataq; regna Tyranni

Tartarei, victasq; acies turbantis Averni,

Immanis resonant magnis adyta intima Templi

Laudibus, & centum-geminis latissima portis

Urbs omnis; non ira minax, non territat illos

Pontificum furor, ingenti sua jura tumultu

laetans; Nec, quæ mentem omnem, sensusq; latentes

LEGIS habere crepat, Pharisææ lerna cohortis.

Non scelerata cohors licitorum, armata cruentis

Crudeles dextras flagris, non verbera cruda,

Non torti funes terrent; non Saxeus imber,

Sævaq; vis lapidum; non intentata securis

Constanti iugulo, facies non pessima mortis:

Stant animo intrepidi, & promissa pericula spernunt,

Nec metuunt mortem Christi pro laude pacisci.

Iamq; urbe excedunt animis ad summa paratis

Diversas terras sortiti, seq; per omnes

Diffundunt latè populos: vel quæ negat umbram

B 2

Austra

1.  
Per eos  
toti mun-  
do Euan-  
gelium  
nunciat.



Australi Phœbus decurrens axe, sinist' am.  
 Semper ubi tellus brumali frigore torpet;  
 Cui nunquam reclusa recludere portitor Helles  
 Fronte diem visus, donans sua tempora Libræ:  
 Quæq; modò undantes, modò pressas noctis habenas  
 Cernit, & alternis cursus languescere Solis.  
 Aut nunquam rapido quos torret Sirius igne,  
 Aut postica latent quæ percutit ilia capri  
 Circulus, & caudâ nunquam blanditur amicâ.  
 Vel quæ sese Helice tollens in vertice summo  
 Parrhasis, in gyrum compulsas despicit umbras.  
 Hic rotat Anticanis, decurrens lata viarum  
 Quæ vasta immensi cernuntur segmina mundi,  
 Perpetuos cursus, homines seu luce fruuntur  
 Perpete, si vè vicissim obscurâ nocte premantur,  
 Erigones gremio surgens cum Phœbus ad Austrum  
 Flectit e quos, intrans ignaræ limina Libræ.  
 Vel quæ iam dextram, iam levam projicit umbram  
 Cum diversa premit, Solis rota limina mundi;  
 Aut planè occultat desertam in viscera terræ  
 Arbos, nec quoquam patitur se flectere trunco,  
 Cum caput infestans summo stat vertice Phœbus.  
 Lux ubi non patitur torpentem crescere noctem,  
 Nec bigas Noctis rapido prævertere cursu  
 Solis equile potest, æqualis cursus utrisq;  
 Noctis quibus purâ lucet procul axis uterq;  
 Atq; Arcton sessam vicino tingere ponto

Per.



Permittit Iuno, priscos oblita furores  
Nulla ubi stella latet, nulla expers æquoris undæ  
Vel tepido subiecta Noto quæ se ultima tellus  
Pandit: cui septem non unquam pressa Trionum  
Visa fuit facies, ubi se ara incognita nobis  
Tollit, nubigenæ & Centauri forma binembris.  
Nullus in orbe locus, quoscunq; ille ætheris ignes  
Suspiciat, regio restat non ulla fovere  
Quæ gremio altrici mortalia corpora possit;  
Quæ se haud mystarum penetrarit servidus ardor.

R. m. 10.  
v. 19.

Horrida non illos urentis frigora Brumæ,  
Nec Phæbi incensi rapidus deterruit æstus:  
Sed se vos imbres, tempestatesq; furentes  
Et diramq; famem, & undæ ieiunia passi,  
Naufragijq; metûs crebri, & genus omne malorum,  
Arcanum Fidei latè omnibus evulgârunt,  
Ætheriâ quotcunq; datum est tunc vescier aurâ,  
Splendidaq; astriferi cæli convexa tueri.  
Tantos quippè animos succendit spiritus ille  
Æterno pactum munus, demissus olympo.

Colof. 1.  
v. 3.  
Act. J v. 8

O munus pretiosum! ô munus amabile! donum  
O magnum! ô quantum est meritorum maxima! nunquam  
Largius indulisit cœlestia munera nobis  
Omnipotens favor ille Dei. Iam ditia latè  
Munifici pandunt penetralia pectoris, inde  
Agmina opum longo prorumpunt ordine, non quas  
Ausser aut Tagus, aut illo non parcior Hermus,

B 3

Pactio



Pactolusq; suo volvunt sub gurgite; sed quas  
Ipse pater nobis ante omnia condita secla  
Condidit in Nati meritis, hodieq; reclusit.

11  
Illud ex-  
plicat &  
beneficia  
eius edo-  
cet.

O munus verè magnum! non laudibus ullis  
Æquandum, nulliq; satis linguæ celebrandum,  
Quo solo nostræ constant momenta salutis  
Quo sine nil quantum est meritorum-cunq;, quot unquam  
Concessit generi larga indulgentia nostro  
Æterni Patris, quicquam prodesse putandum est.

Nam velut argentum, venis abstrusit avaris  
Quod Natura parens, nullos præstabit in usus,  
Commoda nulla dabit, nullo gratumq; colore est:  
Nî artificis solers accedat dextra, laborè-  
q; Expoliat multo, & varios cata formet in usus.  
Aut veluti vis magna, patris quam provida cura  
Argenti atq; auri, ingenti congescit acervo,  
Nulli usû, nulliq; bono, nisi, quo indice querant,  
Quoq; loci edoceat natos, quàm fata subiret.

Sic ignara Dei cœlestia dona laterent,  
Tantaq; mortali peterentur munera nulli,  
Commoda nulla darent altis occulta tenebris;  
(Scilicet indocilis ratio capere ardua rerum  
Sacrarum mysteria, & heu! privæ ipsa salutis  
Cæca, nequit donorum ingentia pondera magno-rum  
Expendisse satis, nescit ratione frui/ci  
Quâ possit, nescitq; viam, nescitq; locum ipsum  
Qui servet thesaurum istum) nisi Spiritus ille

1. Cor. 2  
v. 14.

Ille



Ille, inquam, qui hodie sancto demissus olympo est,  
Spiritus, edoceat præstantes muneris usus,  
Et pretium cuiusq; ingens; incendat amorem,  
Atq; viam VERBO signet. & ducat amussi  
Quam per vasta procul spaciis mœnia mundi  
Extendit sacram, reclusaq; munera promat.

Psal. 119

J. Christi  
Nativita-  
tem.

Grande & perbet vos celebrandum munus in annos:  
En Deus immani pro culpa ausisq; nefandis,  
Unigenam sobolem, æterno sub pectore natam  
Dignatus donum scelerato mittete mundo.

Vt, Deus ex vero Deo, & almo à lumine lumen  
Æternum, humanae vestitus carnis amictu,  
Heu quibus indivis! mortales induat artus;  
Virginis & casta lucis nostræ editus alvo  
Tantum Homo labe carens, similis sit cetera nobis.

Ecquid nosse tibi hæc profit? nisi Spiritus ille  
Ille, inquam, qui hodie sancto demissus olympo est.  
Te doceat causas, penitus monstretq; maligna  
Hoc partu veteris tolli contagia culpæ,  
Quæ mala, Adamigenis sese omnibus insinuârunt:  
Non secus ac pestis, quæ si modo primitus unum  
Corrumpit tectum, totam mox inficit urbem.

At si aurâ facili leim Iupiter æquus, ini quam  
Respiciens sanet nubem, pulsâ urbe recedit.  
Tempore sic postquam præfixo (Spiritus infit)  
Cœlestis tandem vos aura benigna favoris  
Virgineo se utero insinuans respexit, iniquas

Pulsa



Pulsa fugit labe, nocet & contagio nulli.

Magnum & præclarum meritum, quod non satis unquam  
Vlti laudatum linguæ, non vocibus ullis.

Ecce pater Natum, unigenam, quem nulla notarant  
Crimina, quiq; dolo nunquam lætatus iniquo est,

Omnibus humanis iactatum casibus, extre-  
ma Omnia perpeſsum, ſannas, blaſphemaq; verba,

Vinculaq;, & crudi lacerantia verbera flagri,

Et rabidas oris ſpumas, & tempora ſpinis

Horren. lis preſſum; manibus poſt terga revinclis

Ludibrium hinc atq; hinc tractum per læta viarum,

Transfixumq; pedes palmasq; & pectora ferro,

Ta idem exſecrate voluit ſuccumbere morti.

Ecquid noſſe tibi hæc proſit? niſi Spiritus ille

Ille, inquam, qui hodiè ſancto demiſſus olympo eſt,

Te doceat cauſas, monſtretq; hæc omnia paſſum,

Tantum ut Adamigenas pollutos labe nefandâ

Horrendis omnes damnatos Luctiſoni orci

Supplicijs, vinclis, & verberibus contortis

Flammæq; æternæ, & Morti ſubduceret atræ.

O ſed & hoc meritum pretioſum, optabile & ingens!

Chriſtus ubi clauſus poſt funera viſcere terræ,

Clauftra Erebi rupit, tenebroſumq; eruit Orcum,

Et Mortem & Satanam proſtrauit viribus illam

Pungenti ſtimulo, hunc regno ſpoliauit avaro,

Victoremq; pedem imp ſuit cer vice refractâ.

Dein poſtquam ætherias redijt rediuidus ad auras

Agmi.

Eccl. 53.  
Act. 3.

2. Mortem  
& paſſio-  
nem.

6. Mortis  
victoriâ &



Agmine secum ingenti, & colla induta catenis  
Omnia Avernicolūm produxit monstra triumpho,  
Atq; altum statuit victā de morte trophæum,  
Phæbus adhuc tremulo cum tertius æquore curru  
Erraret, lucemq; orbi almam inferre pararet.

Equid nosse tibi hæc proffit? nisi Spiritus ille  
Ille, inquam, qui hodiè sancto demissus olympo est,  
Te doceat causas, monstretq; hæc omnia facta  
Horribilis ne te perterreat ira furoris  
Tartarei, diræq; stygis furalia monstra;  
Nonq; in visa trucis facies, nonq; irrita Mortis  
Spicla, intentatum tramittere nescia vulnus.

Quippe omnes Christus compescuit, atq; nocendi  
Vi planè exutis, iras reliquit inanes

Aspida sic Phariam spoliatam peste veneni,  
Cum premit obliquo comprehensam guttura morsu  
Et sanies elisa fluit lethæa per ora;

Irrita iam victor conamina ridet Ichneumon,  
Et frustra implicite jactata volumina caudæ.

Quin adeò, (ulterius tibi Spiritus explicat ille)  
Anguibus innumeris, tenebrisq; horrentia cæcis  
Antra suâ edomuit squallentis morte barathri,  
Ut iam nigra suo non ulli horrore nocere

Possint, aut premere æternâ sibi credita nocte  
Corpora, sed multo, iam non mortalia, honore  
Splendida, & innumeris fulgentia dotibus, olim  
Depromant luci superæ redi viva, caduci

C

Machina

4. Sepul-  
tura Chri-  
sti quid,



5. Ascensionem, &

Machina cum subito horriso ruet impete mundi.

O sed & illius Meriti præconia nulla

Lingua capit! Titan cum iam mortalibus almos

Ter denos & bis quinos ostenderat ortus

Nubifero CHRISTVS subvectus ad æthera curru,

Limina felicitis rursus patefecit olympi,

Custodesq; aditu, flammantes ignibus enses

Submovit; magnoq; applausu acceptus ovantum

Cœlicolum, æterno solio, patrisq; repostus

Dextrâ almâ, latè regnum & moderamina mundi.

Immensi accepit, spectatæ præmia palmæ.

Ecquid nosse tibi hæc proffit? nisi Spiritus ille

Ille, inquam, qui hodiè sancto demissus olympo est,

Te doceat causas, monstretq; ad sidera vectum,

Vt liceat cœlum vestigia tuta sequuto

Affectare tibi, & vitæ cœlestis honores.

Quippè caput membris jungi, capitiq; verendo

Membra decet, jaceat ne inerti pondere truncus.

Ecquid nosse tibi hæc proffit? nisi Spiritus ille

Ille, inquam, qui hodiè sancto demissus olympo est

Te doceat causas, monstretq; hac sede locatum

Hostium ut infensos fortis frenare furores,

Inq; piam gentem molimina frangere sæva,

Salvamq; incolumemq; periculo præstet ab omni;

Nam subiecta sibi calcat pede colla premente

Ardentesq; iras crepitanti verberare mollit.

Non aliter leo, quem trahit ærea lamina naso

Sessionem  
ad dexte-  
ram patris:

Incas-



Incaustum furit, atq; irarum iactat manes  
Indignans fremitus, & sævæ robora caudæ:  
Seu rabies ventris stimulet, seu sæve recurras  
Libertatis amor, seu amissæ cura maritæ  
Natorumq; simul, penitus furor iste relanguet  
Recltoris dextrâ cum adducitur æreus orbis.

Cuncta tibi hæc inquam benefacta ingentia Christi,  
Vimq; omnem donorum Spiritus explicat ille.  
Verum pergamus: Benefacta ingentia Christi  
Hæc nulli prosunt, nec enim adspirare beatæ  
Ad vitæ dabitur cœlestia munera, nisi cui  
Indubiam constans animet FIDUCIA mentem  
CHRISTIANÆ FIDEI, cœloq; reponat aperto.  
Ardua sed nemo hæc scandit fastigia, non hoc  
Humanæ virtutis opus, nisi Spiritus ille  
Ille, inquam, qui hodiè sancto demissus olympo est  
Sufficiat robur per verba vicaria mystæ,  
Et certo ducat te tramite; quippè viarum  
Tam multi errores, & præcipientes anfractus,  
Et tot frustrantes perplexâ ambage reflexus,  
Multiplici quot non effinxit Dædalus antro  
Aut vero: Annæ Boni vel tantillum ipse Iehovam,  
Instar, vel, quod habet cunctorum, ausisné rogare  
Ipsemet æternæ cœlestia munera vitæ?  
Æternas meritis pœnas, & plura, cruentus  
Exigit horrendo quam quot Rhadamantus in Orco,  
Verbera, dira pati dignus, nisi Spiritus ille

III.  
Ipse Iar/  
gitor fi-  
dem.

Fidei  
πληροφο-  
εία.

2. Theff 3  
v. 10.

Fides per  
verbum.  
Rom. 10

IV.  
Docet o-  
rare.



Galat. 4.  
Rom. 8.

V  
Sanctificat  
illumina  
mentes  
nostras.

Ille inquam, qui hodiè sancto demissus olympo est,  
Filius adoptatus tuâ in aure susurret honores,  
Inq; tuo testis corde, *ABBA PATER, PATER ABBA*  
Clamet, & à placido promittat cuncta parente, &  
Ne dubites sacer ipse tibi sit præstes & obses,  
Immò, ipse ignoras, quâ sit tibi voce precandus,  
Aut voti accepto quo nomine sit flectendus;  
Nî ille modum edoceat verum te, & verba ministret  
Quis patris iratum valeas inflectere numen.

Aut verò castos vultus, atq; ora tueri  
Sancta exhorrescas non totâ mente Iehovæ?  
Squalidus, & veteris pollutus sorde reatus  
Tabificâ totos artus, nisi Spiritus ille  
Cœlesti te spargat aquâ, & Baptismatis undis  
Impuram, lustrans, saniem de corpore tergat.  
Immò velut luci tenebræ adversantur iniquæ  
Perpetuâq; volunt caligine noctis opertam:  
Sic tua facta nigrâ peccati horrentia nocte;  
Tuq; adeò ipse animum cœcatus crimine sædo,  
Non pote non odisse Deum, qui in lucis aperta  
Producit scelus, atq; in viso lumine sistit.  
Spiritus ille nisi cœcâ caligine mentem  
Solvat, & eternâ tenebrosam lampade lustret  
Occultumq; animo adversanti inspiret amorem,  
Verum eheu! facilis lapsus, scelerumq; recurrit  
Dirus amor, mens p̄ona retrò sublapsa refertur  
Ad vitium omne, placet rellictas quærere sordes

VI.  
A diaboli  
seductione  
præstat.

More



More suum lotorum in flumine: Spiritus e; gò  
Ille idem prohibet, mentem ne de vius error  
Præcipitet, scelerum vè inflectat dira libido,  
Aut stygis incautum superet fallacia, multis  
Intertexta dolis, multâ mala fraude plicata,  
Et trahat implicitum, & lethæo funere mergat.

Improba sic tenues suspendit aranea telas  
Incautamq; domum post lecta rosaria Pæsti  
Remigio properantem alarum atq; æra nantem,  
Captat apem; pedibus suspenditur illa hamatis  
Melleq; cum dulci spoliatur munere vitæ.

Post, ubi non stabilis facies mutarit iniquæ  
Fortunæ, exitiumq; intentant omnia dirum;  
Immanis furit ira stygis, fremit horridum Avernii  
Omne satellitium, atq; acies in visa minatur;  
Ringitur orbis, & ora fremens freudentia stringit,  
Si vè maligna tuum, quæ animum sors cunq; fatiget:  
Spiritus hic venit auxilio, certamq; salutis  
Addit opem afflicto, atq; ingenti robore firmat,  
Certaq; suppeditat trepidæ solamina menti,  
Ut ne, Acherontæis horrentia monstra tenebris  
Quæ ferus orcus habet stygiâsq; timere paludes,  
Et quodcunq; alit horribili domus infera nocte,  
Tutus ope illius possis, sed sortis inanes  
Ludere conatus, sed possis murmura frustra  
Sæva orbis contemere, nulli frangibilis stas.

C 3

SP I-

2. Pet 2.  
Prov. 26

VII.  
In adversis  
solatur.  
Iohan. 15.  
& 16.



*SPIRITVS* immo adeò hîc unus facit omnia, & unus  
Cuncta habet æternæ secum momenta salutis:  
Quæ si cuncta meis numeris exprimere tentem  
Ipsa prius me verba, almâ hac cum luce relinquunt.

Tu ipsemet hæc potiùs doceas ô Spiritus alme  
Tertia flamma Dei, certæ fax prima salutis:  
Tu potiùs doceas animos ingentia nostros  
Munera, quæ nobis cælo demissus ab alto  
Attuleris. Quis enim, nisi te ipso interprete norit?  
Aut numerum, aut pondus? septena charismata nobis  
Pande volens, animoq; ostensa infige tenaci.

10h. 16.

Ipsè lava sordes, arentia corda liquore  
Irrora cælestis aquæ; rigidumq; reflecte  
Nostrum animum: si quæ fera frigore pectora torpent,  
Igne fove succensa tuo; Tu vulnera passis  
Adde manus medicas: tenebris errantia cæcis  
Ipse rege, atq; facem claram sustolle sequendam:  
Invisumq; nefas tibi corrige pectoris ipse;  
Ipse sacram nostris animis largire fidem: nil  
Te sine, nil quimus: Laudem en transcribimus omnem  
Sancte tibi, & gratâ celebramus munera mente:  
Sancte tibi meritos adolemus laudis honores.  
Immo quis meritas possit persolvere laudes?  
Nî meritas nobis laudes tu sufficis ipse:  
Vsq; adeò omnia habes solus, das omnia solus.

Interea



*Interea tantum hæc tibi Maxima & unica laus sit  
Posses tuas dici non ullo carmine laudes.*

D I X I

H E V S L E C T O R

Qvisquis meus es; Si miraris, atque adeò indignaris etiam, imbellem, rectius, abortivum hunc foetum in lucem ausum prodire, desine & ignosce: Violentiâ enim quasi quadam proiectus est foràs, latiturus aliàs, maturitatemque expectaturus. Iussu, inquam, protrusus est horum, quibus in me mea que studia ius; & rogatu illorum, quibus quippiam tale denegare, parùm amicum factum arbitror. Et certè illis parere, his gratificari duxi satius, quàm quid Livor criminaturus sit (iudicaturus volebam) cogitare. Cogita verò tu, si non omnia hîc ad gustum tuum, suum esse cuique palatum; & quod tuo insipidum amarumque videtur, alium juvare, suaviterque afficere. Et certè usque adeò verum est, quod ille Schedij æmulus Cygnèi canit,

*Cuius suum caput est ut pileus.*

Verùm etiam Poëticas lautitias, elegantiasque  
& ser-



& sermonis lumina desideras? Æquum, hercules, desideras: sed ne multum caussando moras texam, audi meam vicem respondentem illum Horatij; *Ornari res ista nequit contenta doceri.*  
Hæc volebam, nescius ne esses: iam abi,  
& si benè censes, favesque,  
benè vale.





Lit Lat m A 271



